



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Margarita Evangelica**

**Essche, Nicolas van**

**Coloniae, 1545**

secundus gradus amor Dei. 23

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49323)

## LIBER II.

riterint: & omnes angeli de sui augmentatione  
lætantur assistuntque illis, ne quo modo ex-  
tra hunc gradum corruant: imo & cœlestis pa-  
ter gaudet ouem perditam suo gregi restitutam:  
filius suum preciosum sanguinem fructificare,  
spiritus sanctus suum amorem impleri, summa  
ac beata Trinitas suam imaginem reformari, in  
qua faciem suam Deus cōtueri ac illuminare, &  
sempiternum verbum radiare possit.

De secundo gradu, qui est amor Dei.

Cap. XXIII.

**S**ecundus gradus, est amor Dei. Nam qui ex  
amore Deo seruiunt, eiusque cōsilia sequun-  
tur, hi ad secundum archangelorum videli-  
cet chorum perducuntur, idque per scalam Chri-  
stum Iesum, qui omnia nostrę redemptionis ope-  
ra ex amore peregit. Et per hoc in operibus suis  
cum ipso vniūtur, et in archangelorum numero  
cōputantur, inter quos quilibet eorū maius gau-  
dium habebit, q̄ omnes angeli de primo choro  
habeant. Custodiunt autem archangeli homines  
istos valde sollicitè, ne quo modo extra Dei cor-  
ruant dilectionem.

De tertio gradu, qui est discretio virtu-  
tum.

Cap. XXIII.

**T**ertius gradus, per quem in virtutum gra-  
dum conscenditur, est hic, vt non solū ex  
timore vel amore bonum quis operetur,  
sed vt etiam cum discretione bonis actibus &  
virtutum operibus insistat, vtque discretū, ordi-  
natū et rationabile sit obsequiū eius, & vt vitia,  
non naturam opprimat vel occidat, vtque non

Q̄ iij̄ carni,